

cretum Patrono indecorum, jam Capellanus commodando alia indumenta, cooperatus est injustitiæ Patroni, sic cooperando, injuste se gessit, & injustitiam commisit: ut docent DD. de Cooperante. Secundo, contra religionem, quia cum religio respiciat cultum Dei, & res sacræ, ut sunt indumenta Sacerdotalia ad cultum Dei pertineant, sequitur Capellanum alia indumenta commodando, egisse contra cultum Dei, impedimentum apponendo, ne Visitatores debito decreto cultui Deo per sacras vestes debito consulerent, quod sane est contra Religionem peccare. Tertio, etiam peccato simulationis, cum taliter egisse, fuit Superiores decipere.

CAS. II. Confessarius, vocatus ad excipiendam Confessionem Moribundi, evenit ipsum esse illaqueatum excommunicatione reservata Summo Pontifici; unde volebat absolvere, nisi juraret, se præsentaturum, si convalesceret, quod Juramentum nolens ille facere, inabsolutus decessit. Q. an Confessarius graviter deliquerit.

Respondeo negative. Ratio est, quia à poenitente non puer, qui in mortis articulo absolvitur à Sacerdote alias non habente facultatem absolvendi extra mortis articulum, extorquendum est, si fieri potest (hoc est, nisi poenitens sit sensibus destitutus) juramentum, sese sublato impedimento non perpetuo, præsentandi quamprimum commode poterit Superiori, ut colligitur ex c. eor. de sententia excommunic. in 6. Hæc sunt verba Bonac. de cens. disp. 1. q. 3. num. 11. Ex quibus infertur in Confessario esse obligationem exigendi tale juramentum, consequenter in poenitente esse debitum; si autem adest debitum, & non vult jurare, cum possit, signum est non esse paratum ad obediendum, sicque esse indispositum; si autem est indispositus, non male se gessit absolutionem denegando.

CAS. III. Parochus non habens nisi famulam, nescientem pulsare Campanas, omittit dare signum Salutationis Angelicæ in Aurora, & in Meridie. Q. an sit excusandus, vel graviter delinquat in officio suo, post concessionem Indulgentiæ Benedicti XIII.

Respondeo. Graviter non delinquere in officio. Ratio est, quia nullibi reperitur hoc præceptum obligans sub gravi. Curare tamen debet Parochus quantum potest, ut suo tempore dentur signa Salutationis Angelicæ, cum Pastori debeat cordi esse, mediis non solum necessariis, sed etiam utilibus, ut sane sunt Indulgentiæ, populum suum ad æternam salutem dirigere.

M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS. I. Quidam Clericus mensibus præcedentibus Augustum lusit pluries ludo alearum cum Cauponario ea conditione, ut quoties fuisset lucratus, toties ei fuisset paratum splendidum prandium, & toties hos solveret, quoties amitteret. Semper vicit Clericus; at Cauponarius intelligens, Clericis ludum alearum esse interdictum, recusavit prandia, de quibus convenerant, parare. Q. an juste recusaverit.

Respondeo juste recusasse. Ratio est, quia qui ludo vetito aliquod perdidit, stando in jure communi, solvere non tenetur, ut colligunt, ex l. Alearium, Less. Covarr. Molin. sed in casu Cauponarius lusit ludo vetito Clericis,

eis, & quidem sub gravibus poenis; etenim, licet Clerici aleis ludentes moderate, & recreationis gratia excusentur à peccato, ut docent Bonac. Rosign. Layman, cum in hoc sensu jura etiam quoad Clericos videantur à suo rigore cessasse, tamen Clerici sæpe aleis ludentes, ita ut attentata consuetudine vere dicantur aleatores, graviter peccant, cum hoc sit specialiter prohibitum Cleric. in cap. Cleric. de vit. & honest. Cleric. & in Trident. sess. 22. de reform. cap. 1. non obstante quacumque consuetudine, quæ corruptela potius dicenda est cum Sanchez, & Molin. quam consuetudo; porro Clericus noster aleis lusit pluries, & sic habetur consuetudo ludendi lusit splendidum prandium, & sic habetur ludus immoderatus: ergo cauponarius lusit ludo prohibito Clericis, adhuc prohibitione vigente, sicque non tenetur solvere, sicuti nec debuisset solvere Clericus, si perdidisset: debet enim quoad solvendum esse æqualis utriusque conditio; si autem non tenebatur solvere, juste etiam solvere recusavit.

CAS. II. Præfatus Clericus non potest prandia lucrata obtinere, timens exprobrari à Superiore, si ad ipsum haberet recursum, procuravit sibi in bonis cauponarii compensationem. Q. an tuta conscientia id fecerit.

Respondeo negative. Ratio ducitur ex resolutione primi casus. Ad validam compensationem debet inter alias conditiones creditum esse certum, & liquidum, ut docent fere omnes cum Diana, Less. Molin. at in casu, dato, quod cauponarius non habuerit obligationem solvendi, constat creditum nedum non esse liquidum, sed nullum adesse: ergo Clericus non tuta conscientia sibi compensavit.

CAS. III. Sciens cauponarius quod fecit Clericus, recursus habuit ad Superiorem, ut ejus officio bona, in quibus ille sibi compensavit, redderentur. Q. an justa foret petitio talis restitutionis?

Respondeo affirmative. Ratio deducitur ex dictis. Si Clericus non potuit valide compensari, quia, nullum habebat creditum erga cauponarium, & sibi compensavit, jam læsit jus reale cauponarii; læsum autem in jure suo reali, quis non videt, posse juste in judicium agere ut ei fiat ablati restitutio?

M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Achipresbyter habens pro certo, omnes obstetrices ignaras esse formæ baptizandi, vel intentionis necessariæ, baptizat omnes parvulos, qui ad se feruntur pro Cæremoniis, sub conditione, nulla facta interrogatione circa Baptismum collatum. Q. an licite.

Pro resolutione hujus Casus legatur eruditissima Notificatio Eminentiissimi & Reverendissimi Principis nostri Archiepiscopi ad Parochos transmissa, in ordine ad Obstetrices, circa materiam Baptismi, & ibi clarissima habetur ad casum responsio.

CAS. II. Parochus nullum Librum servat Confirmatorum, sub prætextu, quod multi suæ Parocciæ ducantur à Parentibus ad suscipiendam Confirmationem ubi ministratur absque sui participatione. Q. an sic delinquat graviter, vel leviter in Officio.

Respondeo cum Possevino de offic. Parochi cap. 12. num. 42. delinquere graviter. Ratio Possevini est, quia idem judicium ferendum est de libro con-

confirmatorum, sicuti de Baptismo, & Matrimonio, si negligente Parocho omnes negligent adnotare confirmatos, & confirmatorum Patrimonios, sed Parochum non habere librum de Baptismo, & Matrimonio est peccatum grave, cum sit contra Præceptum Trident. sess. 24. de ref. cap. 2. ergo est peccatum grave non habere librum confirmatorum; & sicuti non excusaretur Parochus à gravi culpa dato quocumque prætextu in primo casu; ita nec excusatur in secundo; cum sit ejus officium. Major propositio non probatur à Possevino, potest tamen sic probari, quia tam oritur impedimentum dirimens ex confirmatione, sicuti ex Baptismo, &c. tam est irreiterabile Sacramentum Confirmationis, ac Baptismi.

CAS. III. Dum Venditor musti nocte hoc duceret ad Emptorem, prope Civitatem, advertit per medietatem fluxisse; unde, ne Emptor conquere-retur implevit continens aqua. Q. an sit obligandus ad aliquam, & quam refectionem.

Supponendo venditorem musti habuisse obligationem ducendi talem musti mensuram, ita ut emptio fuerit conditionata, nempe dabo tot nummos pro tali mensura musti domum meam ducta, ut communiter praticatur. Respondeo primo. Certissime teneri ad aliquam refectionem, tum quia vendit aquam pro musto, tum quia per talem aquæ mixtionem mustum fit deterius, quod sane est Emptorem culpabiliter damnificare; ex damno autem culpabili ad refectionem teneri nemo est ex Moralisticis qui hoc inficietur. Respondeo secundo, vel mustum per aquæ mixtionem ita deterioratur, ut inutile sit Emptori, qui mustum emit, vel ad conservandum, vel ad aliquos effectus, ad quos habendos requiritur mustum perfectum, & sic tenetur ad refectionem integram, cum Emptor in integrum damnificetur. Ita Girib. de empr. cum D. Thom. vel mustum per aquæ mixtionem non red-ditur totaliter inutile emptori, & sic tenetur reficere ad ratam damni pretium, pro aqua reportatum emptori, restituendo, ut servetur æqualitas inter datum, & acceptum.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. DUO Juvenes inter se amici anhelabant ad nuptias cujusdam Puellæ, & ne læderent amicitiam, convenerunt ad invicem, ut qui primus fuisset illam osculatus, illas procuraret: & alter cederet. Uterque ivit, at qui primus oscula tentavit infigere, illa renuente, non potuit. Unde alter jus ad nuptias procurandas præten-dit. Q. cuinam sit adjudicanda prælatio.

Respondeo. Nulli adjudicanda est prælatio. Ratio est, quia conventio fuit de osculo infigendo, non de pura tentatione osculum infigendi: cum autem, & de eo, qui osculum infigere tentavit, & de eo, qui non tentavit, verum sit dicere, non est puellam deosculatus, neuter posuit conditionem in esse, sicque nulli adjudicanda est prælatio.

CAS. II. Dum quis venaretur in nemore alieno sine canibus, creditus fuit à Domino nemoris grassator viarum, unde, & occisus. Q. an occisor possit absolvi à simplici Confessione.

Res-

Respondeo posse absolvi. Ratio est, quia homicidium, quod cadit sub reservatione, est homicidium voluntarium, scilicet appensatum, & studiose procuratum: tale autem non est homicidium in casu, eo quia Dominus nemoris credens venatorem esse grassatorem viarum, hic timens, licet ex falsa apprehensione de sua vita, illum occidit potius ex vitæ timore, & quodammodo in defensionem, licet cum excessu moderaminis inculparæ tutelæ, quam ex malo animo, dolo, & studio; qui autem ita occidit, non incidit in casum reservatum, notat Girib. Rotar. cum Mazzuch. unde potest à simplici Confessione absolvi.

CAS. III. Habens quidam canem mansuetum deambulabat per montium cacumina, ubi cum essent plures oves, canis eas deterruit, & ruerit præcipites de vertice montium. Q. an teneatur damna reficere ovium Domino.

Respondeo negative. Ratio est, quia, ut quis teneatur damnum reficere, damnum debet esse culpabiliter illatum, & non mere per accidens, ut cum Rebel. Less. &c. sed in casu damnum illatum Domino ovium est absque culpa, & mere per accidens; etenim cum canis supponatur mansuetus, Dominus canis nullo modo prævidit, nec potuit prævidere terrorem ovibus incussum, cum oves deterrere non sit canis mansueti, sed ferocis: ergo non tenetur Domino ovium damna reficere.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. Ob-tenta à Confessario, & executioni demandata facultate dispensandi Bertam super impedimento dirimente ante Matrimonium contracto, cum sit conjugi, postquam eam duxit, invisam. Q. quid sit ei suggerendum ad Matrimonium de novo ineundum, vel convalidandum?

Respondeo. Necessariam esse renovationem consensus, & cum litt. Apost. apponatur clausula: *ut alter conjux certior fiat de nullitate primi consensus, & tunc ab utroque conjuge renovetur*, suggerendum est etiam debere certiorare maritum de nullitate primi consensus; non tamen causa talis nullitatis recensita, & deinde novum mutuum consensus habere. Hæc est sententia praticanda, & quam communiter tuentur DD. ut videre est apud Girib. de Matrim. tom. 7. cap. 18. de disp. imped. Matrim. Neque obstat, quod fœmina de præsentis sit viro invisam, quia hoc solum probat, magna dextertate, vel per se, vel per amicum, vel per Confessarium debere virum certiorari de nullitate Matrimonii: non vero probat ad ineundum, vel revalidandum Matrimonium sufficere uti quibusdam formulis à DD. relatis, & multo minus copulam habere affectu maritali, cum hic modus nullo modo sit litt. Sac. Pœnitentiariæ conformis? Quidquid dicat P. Sanchez cum aliis oppositum tamquam probabile sustentibus.

CAS. II. Parochus vocatus ad ministranda Sacramenta graviter infirmo, invenit eum esse phræneticum, & non posse ei ministrari nisi extremam Unctionem, ad quam etiam ministrandam necesse est vinculis constringere. Q. an Parochus debeat ejus domesticos compellere ad tale officium pet-agendum.

C

Res-

Respondeo debere compellere. Ratio est, quia ex una parte, Parochus tenetur ministrare Extremam Unctionem infirmo, qui absque ullo Sacramento est proxime moriturus, quia in tali casu hoc Sacramentum est illi necessarium juxta Dianam, Sanchez, Palao; & ex alia parte Phræneticus, qui habuit perfectum usum rationis est capax hujus Sacramenti, ut ex Rit. Rom. si absit periculum irreverentiæ, ad quam cavendam posse Phræneticos ligari notant gravissimi DD. cum Aversa, texte Lacroix de Extrema Unctione, num. 2110. eo autem ipso, quod Phræneticus est capax hujus Sacramenti, & ligari potest ad cavendam irreverentiam, & Parochus ministrare tenetur, potest, & debet compellere domesticos ad illud ligandum: quia est unicus modus, unicumque remedium, & quidem licitum, quo obligationi suæ valeat satisfacere, & infirmi salutem procurare.

CAS. III. Silvester pauperrimus, & habens copiosam familiam, ut cum hac possit pelleri rigidum tempestatis frigus, quærit modo in uno, modo in alio prædio ligna comburenda; at, cum non inveniat arida, & infructifera, cædit, & aufert fructifera, vel quæ post paucos annos essent valde utilia Domino. Q. an sit tolerandus, vel acriter reprehendendus.

Respondeo eum distinctione. Vel familia Silvestri indigens lignis ad pellendum frigus est constituta in extrema necessitate lignorum, ita ut sine talibus lignis habeatur probabilis timor periculi vitæ, vel est constituta solum in gravi necessitate; si primum, tolerandus est Silvester, quia in tali necessitate omnia sunt communia, & sicuti in simili casu dominus arborum illas cæderet, & combureret, quamvis essent fructifera, cum nullo alio modo suæ extremæ indigentia valeretur occurrere, ita tolerari debet Silvester, si illas cæcidit, & combussit. Si vero secundum dicatur, est reprehendendus, ut clare constat ex propositione damnata ab Innoc. XI. quæ est trigessima sexta in numero.

ANNO MDCCXXXIII.

MENSE JANUARI.

CAS. I. Titius providit venenum Bertæ conjugatæ, cum qua plura scienter patraverat adulteria, firmiter tenens eo uti velle ad occidendos mures, quos ei valde noxios esse sciebat. Berta, cum esset quadam die graviter à mario verberata, ei tradidit tale venenum, ex quo periit, modo vellet contrahere Matrimonium cum Titio. Q. an possit.

Respondeo. Vel Berta habuit animum ducendi Titium, vel non, si habuit, non potest; si non, potest. Ratio primæ partis est, quia sic habetur tum Viricidium effectu sequuto, ut ex *ly ex quo periit*, tum adulterium formale ut ex *ly scienter*, tum animus contrahendi matrimonium cum adultero, ut supponitur, consequenter habetur quidquid requiritur ad impe-

dimentum criminis, quod dicitur Viricidium, seu Uxoridium cum adulterio, sicque Berta non potest cum Titio matrimonium inire. Ratio secundæ partis est, quia si non habuit talem animum, jam deest unum ex requisitis ad tale impedimentum contrahendum; absolute enim requiritur cum Viricidio, & adulterio animus ducendi, ut ex cap. *Significasti, & si quis vivente*, cum sit impedimentum ab Ecclesia inductum, ne conjuges sibi invicem mortem machinentur, sicque Berta potest Titium ducere. Ita communiter omnes agentes de impedimento criminis, de quo unice dubitari potest in præsentia.

CAS. II. Parochus vocatus ad Vetulam moribundam pro excipienda ejus confessione, invenit ipsam ignorantem Articulos Fidei, & periculum est in mora. Q. quomodo se geret.

Respondeo. Si pœnitens Vetula ignoret essentialia requisita ad valorem Sacramenti, v. gr. dolorem, vel propositum, aut Trinitatem, & Incarnationem juxta propositionem 64. damnatam ab Innoc. XI. debet Parochus illam eo meliori modo, quo potest, instruere, secus, Sacramentum esset nullum, & sacrilegium committeretur: Si vero Vetula labore ignorantia vincibili, vel invincibili Mysteriorum, quæ non sunt necessaria necessitate mediæ, sed tantum necessitate præcepti credenda, tenetur monere Vetulam de ignorantia, & si non possit tunc illam instruere, tenetur tunc exigere ab ipsa propositum ignorantiam emendandi, tum curare, ut emittat actum fidei de articulo ignorato, dein illam absolvere, præmissis cæteris ad Sacramenti validitatem requisitis. Ita cum Viva in explicatione citatæ propositionis.

CAS. III. Berta, honestis parentibus nata, ipsis invitis, contraxit matrimonium cum Satellite, quare parentes recusant tum ejus colloquium, tum ejus aspectum, etiam post petitam veniam. Q. an graviter peccent.

Respondeo. Vel parentes, quos rusticos suppono, colloquium Bertæ filia, & ejus aspectum ad longum tempus recusant, & in perpetuum recusare parati sunt, vel solum ad breve tempus; si primum, peccant graviter, nec possunt absolvi, quia permanent in odio, ac vindicta excedente delictum filia plebejæ post petitam veniam; si secundum, non peccant, quia id honeste fieri potest in emendationem filia, & in pœnam sui criminis, & ad aliarum filiarum cautelam; licet enim filia non teneatur obedire parentibus, quoad status electionem, tenetur tamen statum illis non indecorum eligere, & indecorum eligendo, ut in casu, cum infamia propria, & parentum, sane delictum committit ea punitione dignum, ut ad breve tempus ejus aspectum, & colloquium Parentes recusent. Ita cum Giribaldo Diana, Laim. de charitate proximi.

MENSE FEBRUARI.

CAS. I. Titius, contractis Sponsalibus validis cum Rosa, cognovit Franciscam Rosæ sororem ex parte matris, nunc sciens neutram ducere posse, vellet saltem ducere, vel consobrinam, tantum, consanguineam Rosæ ex parte patris, vel consobrinam, tantum consanguineam Fran-